



**Tractatvs De Præventionē Ivdiciali [!], Sev De
Contentione Ivrisdictionvm**

Tonduti, Pierre François de

Lvgdvni, M.DC.LXXIII.

Capvt XII. Quando, & in quibus casibus præuentio causæ afficat tertium in
causa interuenientem, seu compareat vti euictionarius, seu author
laudatus principaliter, vel accessoriè interueniens. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98370](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98370)

comparitio & contumaciæ purgatio facta esset sine fraude. Ratio est, quia secunda comparitio potentior est, & coram secundo reus comparere tenetur & causam prosequi; ergo non coram primo, cum duobus in locis pro eodem delicto comparere non teneatur, l. *senatus*, ff. de accus. l. *si ff. nante*, capon, *stabil*. Boss. in tit. de foro compet. num. 96. *versic. factor tamen*. Quod intellige iuxta notata inferius, c. 3. num. 7. *versic. & præmissa*.



CAPVT XII.

ARGVMENTVM.

Quando, & in quibus casibus præuentione causæ afficiat tertium in causa interuenientem, seu compareat vti euictionarius, seu author laudatus principaliter, vel accessorie interueniens. Vtrum possit tertius proponere exceptiones dilatorias sibi ex proprio iure competentes, & nominatim exceptionem suspicionis Iudicis quamuis causam præuenisset. Quid si esset in gradu statuti cogentis affines, vel consanguineos ad compromittendum, an ex personâ propriâ quâuis sit tertius, possit petere causam compromitti. Et de variis modis quibus tertius potest interuenire in causâ; ita quod illi obstat, vel non obstat præuentione. Quid statuendum sit in Clerico, seu alia persona Ecclesiastica, an teneatur comparere, & quomodo illi præuentione causæ obstat possit. Quid in emphyteuta laici, vel Ecclesiæ, in colono & similibus. Ad quem Iudicem spectet decisio huius articuli. Quid si tertius veniat post consummatas executiones, aut laxatas per Rotam Romanam executoriales. Verum tertius qui non spoliavit, nec spoliari mandauit suspensio petitorio sit in eo audiendus. Quæ sit differentia inter nominationem & laudationem authoris, ad effectum transferendi iudicium in nominatum, non autem in auctorem laudatum.

SVMMARIVM.

- 1 Tertius veniens ad causam quando dicatur venire accessorie.
- 2 Legatarius pro suo interesse potest assistere liti qui mouetur inter alios super inefficacia testamenti.
- 3 Lis si mota fuerit super inefficacia testamenti, præuentione obstat legatario qui nouum non poterit mouere iudicium.
- 4 Siue legatarius scierit litem agitari super querela inefficacia testamenti, siue ignorauerit; sententia quæ in illa causa feretur, afficiet legatarium.
- 5 Quando auctor laudatus comparet in causa tan-

quam vnus ex principalibus potest eandem litem prosequi, vel nouam si velit instituire, nec præuentione ligatur.

- 6 Causa principaliter & separatim per euictionarium intentata non impedit cursum causæ contra emptorem iam præueniæ.
- 7 Præuentione obstat euictionario, volenti interuenire ad solam rei conuenti defensionem.
- 8 Euictionarius, aut alius tertius, per suam interuentionem non possunt nouare iudicium, inuito auctore.
- 9 Nouatio iudicij, nunquam fit inuito eo, cui ius actionis vel obligationis competit.
- 10 Euictionarius, ante litem contestatam, potest etiam inuito emptore, proponere omnes exceptiones declinatorias, eidem emptori competentes.
- 11 Intellige, dummodo exceptiones illas proponat intra easdem dilationes, intra quas, principalis id posset.
- 12 Tertius, post litem cum principali contestatam, non potest opponere ex personâ suâ exceptiones declinatorias sibi competentes, ne ex eius interuentione deterior fiat conditio auctoris.
- 13 Expenditur opinio Romani singul. 330.
- 14 Tertius ad causam admissus, potest Iudicem, quamuis præuenientem & approbatum, recusare ex proprio capite ex causâ suspicionis, etiam post litem contestatam.
- 15 Si conuentio sit inter proprietarium & usufructuarium, super præuentione causa per alterum eorum facta, quid obseruari debeat.
- 16 Tertius, etiam ex personâ propriâ, omnes declinatorias exceptiones proponere potest, post litem contestatam, nonnulli existimant.
- 17 Euictionarius, an possit opponere ex personâ sua, contra auctorem, exceptionem compromissi statutarij, propter affinitatem seu consanguinitatem cum ipso: Affirmatiue.
- 18 Limitatur, vt non procedat, quando non comparet vti author laudatus, sed defensorio nomine.
- 19 Tertius veniens ad excludendum tam auctorem quam reum, potest auctori opponere exceptionem, & Tua non interest, & similes peremptorias.
- 20 Quid intersit, inter exceptionem suspicionis, & alias dilatorias, ratione opposicionis ipsarum faciendæ per tertium.
- 21 Tertius potest in causâ tribus modis comparere.
- 22 Tertius veniens ad defendendum, causam assumit in statu in quo reperitur.
- 23 Quando tertius comparet in causa ad excludendum reum solum, vel auctorem solum, potest nouum iudicium intentare, nec ligatur præuentione.
- 24 Tertius volens tam auctorem quam reum excludere, potest nouum iudicium inchoare, si tamen velit interuenire in lite copta, & præueniæ, debet venire in statu in quo causa reperitur.
- 25 Tertius interueniens ad repellendum tam auctorem quam reum, non retardat cursum causæ inter principales præueniæ.
- 26 Tertius interueniens dumtaxat ad vitandam inter partes litigantes collisionem, ligatur præuentione nec mutat iudicij naturam, imò eadem persona reputatur cum principali cui assistit.
- 27 Ampliatur vt procedat, siue iste tertius assistens scierit litem agitari, siue ignorauerit.
- 28 Quando principalis est de collisione omnino suspectus, potest in totum remoueri à lite, requirente eo qui habet interesse.

- 19 Tenor decreti, quo tertius admittitur ad causam ligenter inspiciendus est, & quid utilitatis inde resulet.
- 20 Tertius volens excludere actorem simul & reum, potest petere sibi caneri de re restituenda per victorem, casu quo sibi debeatur.
- 21 Protestatio sola tertij hoc casu sufficit, ne sententia inter alios lata ipsum afficiat.
- 22 Sed ultra protestationem, potest petere sibi caneri ut supra.
- 23 Quamvis clericus author laudatus, comparere teneatur, ex veriori sententia, coram Iudice laico, tamen sententia contra Clericum non potest exequi nisi auctoritate Iudicis Ecclesiastici.
- Intellige id procedere in Iudice merè laico, secus est in Ecclesiastico, habente iurisdictionem prorogabilem.
- 24 Continentiam causa diuidi, non est inconueniens, quando agitur de personis que sunt diuersi fori.
- 25 Clericus potest derogare iurisdictionem coram alio Iudice Ecclesiastico, non omnino incompetenti.
- 26 Different emittio & indemnitas, que est causa omnino separata à lite principali, nec subest præuentioni illius.
- 27 Tertius citatus pro indemnitate, tanquam possessor, veluti si actione hypothecaria, vel interdicto Saluiano impetratur, est reus, & coram Iudice suo conueniendus, etiam si in consequentiâ actionis contra alium intentata conueniatur. Sed hoc casu Superior pro unione causarum aduocandus est.
- 28 Tertius comparens adhasuè, præuentione causa principalis ligatur.
- 29 Quando Tertius possidens nomine alterius, veluti colonus, in ius vocatur, Dominus principale habens interesse, potest petere se remitti ad suum iudicem.
- 40 Præuentione facta contra colonum, non afficit Dominum, nisi Dominus legitime citatus fuerit, in persona coloni.
- 41 Emphyteuta, vel feudatarius, si citentur super dominio directo, iudicium transfertur in Dominum, qui potest petere se remitti ad suum Iudicem, non obstante præuentione. Intellige ut in præcedenti.
- Magna est differentia inter nominationem principalis: & citationem authoris laudati, in primo enim casu præuentione non afficit nominatum, qui potest petere se remitti ad suum Iudicem; in secundo vero casu tenetur litem defendere coram illo iudice qui præuenit.
- Operarij laborantes de mandato Domini, si illum nominent, lis transfertur in Dominum.
- Idem dicendum est de pluribus se Dominos directos eiusdem rei contendentibus, quod per plures casus ibidem explicatur.
- 42 Quando agitur de Emphyteusi Ecclesiastica, Iudex laicus de illâ cognoscere non potest, secundum mentem Rote Romanæ, quamvis emphyteuta esset laicus.
- 43 Egidiana constitutioni locum non esse Rota censuit, quando inter corpora copreñtiosa adsunt aliqua existentia de dominio directo Ecclesiæ.
- 44 Controversia mora super qualitate fundante iurisdictione, terminanda est summarie per eundem Iudicem causa: quod quomodo procedat explicatur.
- 45 Controversia præuentionis inter duos Iudices, non est per alterum ipsorum, sed per Superiorem, aut per Arbitros iuris terminanda.
- Sanlegerij de Præuent. Iudic. Pars II:

- 46 Tertius post consummatas executiones, non debet mouere iudicium.
- 47 Consummata executiones quando dicantur secundum stylum Rote Romanæ.
- 48 Præuentione non potest opponi Tertio, post executiones consummatas litem mouenti.
- 49 Rota non solet relaxare mandatum executionum, sed solum concedit executoriales, & qua sit eius praxis.
- 50 Laxatis executorialibus, & cōcessa declaratoriâ, dicitur facta realis executio secundum stylum Rote.
- 51 Patronus veniens in promptu, & docens de iure suo indubitato, impedit executionem laxatam ipso non citato, in lite inter alios existente, quamvis de tribus sententiis conformibus ageretur.
- 52 Idem si doceret statim de iure suo, per probationes in Curia incontinenti faciendas.
- 53 Tertius qui non spoliavit, nec spoliari mandauit, admittitur etiam in petitorio, quamvis illud fuisset suspensum.
- 54 Limita nisi ius istius Tertij esset connexum cum iure spoliantis. Idem obseruandum est quando commissio facta fuit cum clausula, parito breui, que (quoad fructus) non afficit tertium non habentem ius connexum, num. 56.
- 55 Tertius qui causam suam tanquam principalis committi curauit, veniens in vim sue commissionis, non tenetur venire in statim in quo causa reperitur.
- 57 Tertius appellans quando faciat acta sua. Et remissine de materia.

DIXIMVS in prima parte huius tractatus, cap. 20. num. 18. & seqq. euictionarium non posse ex sua personâ & priuilegio, impedire quin causa coram vno Iudice præuenta aduersus emptorem nullo suffultum priuilegio, coram eodem Iudice præueniente terminetur. Excepto fisco, cuius hac in re speciale est priuilegium, ut ibidem demonstrauimus.

Nunc autem queritur de conuerso, quid statuendum sit, quando emptor priuilegiatus, veluti pupillus, vidua, miles, scholaris aut Doctor, aut alius quilibet cui competit exceptio fori declinatoria, non vult illius Iudicis coram quo citatur iurisdictionem declinare, vtrum venditor, seu alius euictionarius possit; non obstante præuentione causæ factæ coram illo Iudice; ex personâ ipsius emptoris vel possessoris citati, vti illâ exceptione fori declinatoriâ, petendo causam remitti ad Iudicem rei conuenti. Hanc questionem nuper ego habui in facto. Quia quidam oriundus ciuitatis Carpentoraftenfis citatus in prima instantia coram Auditore in ciuitate hac Auenionensi, nolebat petere se remitti ad suum Iudicem ordinarium, quod tamen de iure facere poterat: cum autem vocasset euictionarium, hic volebat petere remissionem eiusdem causæ etiam inuito & renuente illo, qui vti possessor & vti principalis vocatus in ius fuerat. Ideo fuit dubitarum quid hac in re statuendum esset.

Et quia questio ista satis amplam & apud DD. intricatam continet materiâ, ideo vt distinctè procedamus, supponendum in primis est pro illius resolutione, non solum euictionarium, seu authorem laudatum, sed etiam quemlibet alium Tertium duobus modis in causa posse comparere, seu interuenire. Primo quidem accessorie ad defendendum reum citatum, seu etiam quando compareret dumtaxat ad assistendum liti, ne colludatur inter duos colligantes. Huius casus exemplum habetur in leg. si suspens. & ass. de inoffic. testam. Vbi dicitur Legatarium, liti

T quæ

- quæ inter duos hæredes scriptos super inofficioſo teſtamento vertitur, aſſiſtere poſſe ad impediendum ne inter ipſos, aliqua fiat colluſio in ſui præiudiciũ. ¶ Habetur etiam in *Auth. nunc ſi hæres. C. de litigioſ.* Si enim Legatarius velit poſt mortem, & coram aliquo Iudice præuentam litem nouam in præiudiciũ huiusmodi præuentionis litem mouere, & nouum inchoare proceſſum, non audietur, immò à iudicij limine repellitur, eique obſtabit exceptio præuentionis, cum agens illo modo teneatur comparere & cauſam proſequi coram Iudice, qui præuenit, & coram illo rationes & iura ſua deducere in ſtatu & terminis in quibus cauſa reperitur. ¶ Ratio eſt, quia ſententia in huiusmodi inofficioſi teſtamenti controuerſia proferenda contra hæredem, vel pro hærede, ipſum quoque Legatarium afficiet, & ius faciet quoad ipſum, ſiue cauſam agitari ſciuerit, ſiue ignorauerit, per iura & rationes allegatas. *Coar. pract. quaſt. c. 13. n. 3.* Et probatur per text. in dicta *Auth. nunc ſi hæres. C. de litigioſ.*
- Secundo author laudatus, ſeu alius quilibet tertius comparere poſteſt in iudicio, principaliter pro ſuo intereſſe, & non acceſſoriè. Et hoc caſu ſi agatur de iure quod non habet dependentiam à iuribus partium colligantium, datur illi electio comparèdi in eodem iudicio ſi velit, & tunc faciet ſententiã, & acta ſua. Et poſt talem comparitionem & admiſſionem ad cauſam, tenebitur eandem ſubire ſententiã, idemque iudiciũ continuare. Si vero malit ex proprio iure nouam litem inchoare (cum ſupponamus ius ipſius nullam habere cum iure colligantium dependentiam) poterit hoc facere; neque illi obſtabit præuentio & litipendentia inter partes principales, eum hoc ius ſit diuerſum & ſeparatum à iuribus partium. Ita declarauit Rota in vna Tolatana Decimarum coram Eminent. Pamphilio 19. Februarij 1553. inſerta apud Marchefan. *de commiſſ. p. 2. fol. 153.* & habetur apud Ludou. *dec. 303. n. 3.*
- Cauſa tamen hoc modo intentata per Tertium iſtum æquè principaliter, & ex iure independenti agentem eo modo quo dictum eſt, non impedit curſum cauſæ inter principales ipſos præuentæ, ſed vtraque cauſa curret marte ſuo. Ludouil. *dicta dec. 303.* ¶ Nec obſtabit hoc caſu huic Tertio, ſeparatim & nouo iudicio agenti, quamuis illi opponatur cauſam inter principales eſſe præuentam, niſi quatenus vellet interuenire acceſſoriè, & ad ſolam deſenſionem rei conuerti, iuxta primam partem huius diſtinctionis. Idem Ludouil. *dec. 396. num. 2.* ¶ Cum non poſſit per ſuam adheſionem mutare naturam, ſtatum ad terminos iudicij præuenti, idem *dec. 576. num. 7.*
- Notandum tamen eſt, quod euicſionarius cui lis fuit per poſſeſſorem denunciata, non poſteſt cogere actorem vt mutet perſonam, & ipſum agnoſcat in partem, & in ſe iudiciũ à poſſeſſore transferri permittat. Semper enim proteſtabitur actor, (provt ſolent proteſtari Practici noſtri) ſe nolle mutare perſonam nec iudiciũ nouare, & ipſe in ſua proteſtatione fundatus erit. ¶ Quia nouatio iudicij, vel obligationis, non poſteſt fieri ſine conſenſu illius cui ius actionis, vel obligationis comperit. *l. ſi mandatos §. 1. ff. mandat. Bart. in l. ſolutionem n. 6. ff. de ſolution. Nat. conf. 630. n. 2. ad fin. Benintend. dec. Bonon. 92. Barboſ. in l. venditor. 49. n. 107. ff. de iudic.*
- His ita præmiſſis, deueniendo nunc ad reſolutiones quaſtionis noſtræ principalis; ſit Prima concluſio, quod ſi author laudatus, cui lis tanquam de euicſione obligato denunciata fuit, compareat in iudicio, ad aſſiſtendum liti, & defendendum empto-

rem citatum, ante litem conteſtatam, poſteſt non obſtante præuentione cauſæ, (quam ex ſola citatione induci ſæpius oſtendimus) omnes exceptiones fori declinatorias opponere ex perſonâ emptoris illi competentes, etiam illo inuito, vel renuente. Quia venditor, aut quilibet alius tertius comparens ad defendendum reum in ius vocatum, tanquam intereſſe habens in hac deſenſione, poſteſt allegare & probare omnia per reum omiſſa, & opponere omnia quæ ipſe reus opponere poſſet: Gloſſ. 2. in d. l. ſi ſuſpecta, C. de inoffic. teſtam. Gloſſ. item 2. in c. final. De procurat. in 6. ¶ Dummodo tamen talia proponat, & excipiat intra eaſdem dilationes, intra quas reus, & poſſeſſor admitteretur ad illarum oppoſitionem, probationem & deductionem, cum vt mox dictum eſt, teneatur deſenſionem aſſumere in eodem ſtatu, & terminis in quibus cauſa reperitur, *cap. 2. v. lite pendem.* & ita concludit Barboſ. in dicta l. venditor. n. 171. ff. de iudic.

Secunda concluſio. Euicſionarius, aut alius tertius veniens ad iudiciũ, ad defendendum dumtaxat reum, non poſteſt opponere exceptiones declinatorias ſibi ex perſonâ ſua competentes, ſi lis fuerit eum poſſeſſore conteſtata, & propterea illi ſic competenti & exceptiones huiusmodi proponenti, obſtabit hoc caſu exceptio præuentionis iudicialis, quod explicatum eſt per nos p. 1. huiusce tractatus, *cap. 20. n. 19.* & per Marchefan. *de commiſſionib. ſit. de euocat. cauſar. p. 2. §. 2. n. 1.* Nat. *conſil. 99.* Cauſcan. *dec. 5. num. 39. p. 4.* Surd. *dec. 147. n. 5. in fine.* Giurb. *dec. Sicil. n. 24. & 25.* Quia ex deſenſoris interuentione non debet fieri deterius actoris ius, vt mox diximus, *num. 9.* & tradit Honded. vltra ibi citatos *conſ. 25. n. 11. & ſeqq. vol. 1.*

Et propterea non admitterem in terminis huiusce cauſæ doctrinam Romani ſingul. 630. exiſtimantis venditorem aut alium tertium componentem, etiam poſt litem conteſtatam poſſe ex perſona propria opponere exceptiones fori declinatorias: quod dicit ſe ita in magna cauſa iudicaſſe. Quia hæc opinio, ſic ſimpliciter accepta, contrariatur communi ſententiæ de qua ſupra, nempe quod tertius hoc caſu veniens ad defendendum reum, tenetur cauſam aſſumere in ſtatu, & terminis in quibus reperitur. Ergo impoſſibile eſt, vt cauſam in vno tribunali præuentam, ad aliud tribunal poſt conteſtatam litem trahere poſſit.

Speciale tamen eſt, in proponenda aduerſus Iudicem ſuſpicionis exceptione, ad ipſum à cauſæ cognitione remouendum, quod tertius aut author laudatus, ſi ad cauſam pro ſuo intereſſe admiſſus fuerit, poſteſt ex perſonâ propria exceptionem illam ſuſpicionis & recuſationis opponere. Ratio eſt, quia cum ſemel ad cauſam fuerit admiſſus, etiam poſt litem conteſtatam, non debet cogi ad litigandum coram Iudice ſibi ſuſpecto: & quemadmodum poſt approbationem iudicis factam expreſſè, vel tacitè coram ipſo comparendo, pars principalis poſteſt nihilominus illum recuſare propter cauſas ſuſpicionis de nouo aduenientes, *cap. inſinuante.* & ibi DD. maxime Felin. *num. 15.* De offic. Iudic. deleg. ita & iſte tertius cum de nouo ad cauſam admiſſus fuerit ſimpliciter, poſt litem conteſtatam, nec dictum fuerit quod admittebatur in terminis & ſtatu in quo cauſa reperitur, poterit ſuſpectum allegare Iudicem; quia cum de nouo admiſſus fuerit, perinde eſt, ac ſi cauſæ ſuſpicionis de nouo ſuperueniſſent: licet enim forſan hæ cauſæ antiquiorem habeant originem, tamen nondum proponi poterant, cum iſte tertius non eſſet in lite, ad quam de nouo fuit admiſſus.

¶ Quod

15 [†] Quod probatur per text. in l. si pariter 9. ff. de liber. caus. Vbi dicitur quod si seruus super libertate litiget, & in lite concurrant proprietarius & usufructuarius eiusdem serui, vnus sine alio liti assistere potest. Si tamen alter eorum, cum fuisset absens, deinde iudicio super liberali causa nondum finito superuenierit, cogendus erit coram eodem Iudice qui causam præuenit, litigare. Sed tamen si iustam causam affert propter quam ad eum remitti non debeat, veluti si eundem Iudicem propter inimicitias sibi suspectum esse allegauerit, audiendus erit. [†] Atq; ita, Tertium post litem contestatam ad causam admissam, Iudicem ex propria persona suspectum allegare, & remouere posse tradunt plurimi D.D. veluti Abb. in cap. cum super n. 2. ff. de offic. Iudic. deleg. & ibidem Fel. n. 1. Gaill. lib. 1. obseru. 71. n. 7. Iacob. Laurent. de Iudice suspecto. cap. 1 §. n. 23. Sanfel. dec. 90. n. 20.

17 Non videtur dissimile quod dicunt DD. quod scilicet quando author laudatus, seu euictionarius veniens in causa, vult suscipere iudicium, debet audiri si petat fieri compromissum, ex eo quod est affinis, vel consanguineus sui aduersarij litigantis, quamuis non sit affinitate, vel consanguinitate iunctus cum eo cuius iudicium suscipit, existente statuto per quod affines ad compromittendum adstringuntur, vt declarat & fusè propositis in vtramque partem rationibus determinat Bart. in sua quæst. quæ incipit, *Pisana ciuitatis concilium* quæ est secunda inter quæstiones ipsius, ad cuius doctrinam semper recurrendum est, prout ipse se remittit in l. procurator 2. §. 1. ff. rem rat. habet. Borell. de comprom. §. 1. gloss. 3. n. 3. 12. quæst. 43. Marant. in specul. parte 6. act. 2. n. 7. Quod tamen limitatur vt non procedat quando euictionarius, aut alius tertius, comparet accessorie & nomine defensorio ac sponte, vt ostendit Carpan. ad statum. Mediol. p. 1. c. 115. n. 83.

18 Immo, quod plus est; Gaill. lib. 1. obseruat. 71. n. 7. fortius existimauit, Tertium ad causam admissam, non solum exceptionem suspicionis, sed & omnes alias dilatorias exceptiones opponere posse, etiam post litem contestatam: quod & antea voluit Angel. in l. venditor 49. ff. de Iudic. num. 1. post Innocent. in cap. Capitulum Sanctæ Crucis num. 7. de rescript. Ias. in lita demum, num. 5. in 15. limitatione Cod. de procurat. Quod procedere asserit Iacob. Laurent. in tractat. de Iudice suspecto. cap. 1 §. num. 23. Etiam si tales exceptiones huic Tertio ex persona propria competere: limitando tamen, vt locum habeat quando iste tertius ignorauit litem agitari, secus si sciuerit, vt ibi per eum.

19 Sed hæc sententia non obtinet in terminis in quibus non versamur, sed tantum quando agitur de Tertio qui comparet ad excludendum vtrumque, nempe tam actorem quam reum, ex eo quod Tertius iste neutri ius competere præterit, sed sibi soli, & rem seu ius controversum ad se solum spectare, ad hoc vt eâ ratione ambo colligantes excludantur: tunc enim proponendo exceptionem exclusivam vtriusque, veluti *Vestra non in interest*, & quid simile, tunc enim audiendus est. Sed hoc omnino differt à casu nostro, in quo loquimur de exceptionibus dilatoriis; at vero exceptiones quæ proponuntur ad exclusionem vtriusque, sunt peremptoriæ, vt dicit Barbof. in l. Titia 35. n. 7. & 8. ff. solut. matrim. Sed quod iste Tertius veniens post litem contestatam, possit generaliter omnes exceptiones dilatorias proponere, non videtur verum, nisi nouum iudicium instituatur contra vtrumque; tunc enim cum sit noua causa, omnia opponere posset quæ de iure ante vel post litem contestatam opponi possunt.

Sanlegerij de Prauent. Iudic. Pars II.

Aliquis tamen adhuc remanet scrupulus; quia dici potest nullam diuersitatis rationem allegari posse inter exceptionem suspicionis, & alias dilatorias. Ratio enim allegata quod exceptio suspicionis, tertio ad causam admissam suffragatur, consistit in eo quod illa superuenit de nouo propter nouam Tertij admissionem, eodémque modo militare videtur in aliis exceptionibus dilatoriis, quæ de nouo etiam obueniunt illi, qui de nouo admittitur ad causam, Castrenf. consil. 2. num. 3. lib. 2. & consil. 147. num. 3. eodem lib. 2.

Pro totali & solidâ harum difficultatum, totiusque quæstionis solutione, repetendum est, quod supra diximus, n. 1. & sequentibus, nempe quod tertius potest interuenire in causa pluribus modis. Primo quando venit accessorie ad defensionem actoris aut rei. Secundo quando venit ad reum solum excludendum, vel actorem solum, veluti quando actori dicit, *Non tibi sed mihi competit actio proposita*. Vel reo obiicit, *Tu non potes defendere*; quia *ego sum verus possessor prædij contentiosi*, aut alterius rei in litem deducta. Tertio quando iste nouus in causa interueniens, comparet ad excludendum vtrumque, nempe tam actorem quam reum, dicens; *Non tibi competit actio, nec alteri colliganti defensio, sed plenum ius ad me spectat*.

In primo casu cessat difficultas. Quia vt ostendimus superius, num. 3. & sequentibus. Tertius veniens ad solam defensionem rei, tenetur assumere causam in statu in quo reperitur: non potest igitur exceptiones declinatorias proponere, nisi intra easdem dilaciones, intra quas principalis illas proponere posset, vt supra, n. 10. dictum fuit.

In secundo casu, quando tertius vult vnum dumtaxat ex colligantibus excludere, tale iudicium intentatum à tertio, est nouum & omnino separatû & æquè principale, immo & magis principale, quia hoc casu ille Tertius subit vices actoris, & eius causa præiudicialis est causæ principali, siue de actione, siue de defensione tractetur: vt notatur in l. Titia ff. solut. matrim. Couar. pract. quæst. cap. 14. n. 3. Vnde cum sit nouum iudicium, sequitur omnes exceptiones, etiam declinatorias, in eo opponi posse. Non enim tenetur causam assumere in statu & terminis in quibus illa reperitur, sed nouum omnino iudicium mouere potest.

In tertio casu, quando reus tam actorem quam reum excludere intendit, potest quidem vel nouum inchoare iudicium, vel si malit litem cœptam proseguere. Sed nouum intendo iudicium, non propter eâ retardatur cursus litis cœptæ, immo vtrique causa currit marte suo, vt dicit Couar. dicto cap. 14. num. 4. versic. *Nos vero contrarium*. At vero si litem cœptam proseguere malit, tenetur illam assumere in statu & terminis in quibus reperitur, & per consequens iuxta distinctionem superius in primâ conclusione propositam, non potest exceptiones declinatorias post litem contestatam proponere. Et ita intelligenda est doctrina Gaill. & aliorum superius allegatorum num. 18. Quibus assentitur Mascard. in tract. de probationibus conclus. 690. Exceptio dilatoria: num. 4. & Sanfel. dec. 90. num. 16. Vnde ex præmissis resultat.

Tertia conclusio, quæ iam satis explicata est, quod tertius comparens in causâ, volens excludere simul tam actorem quam reum, non retardat cursum causæ inter ipsos vertentis: Cancr. lib. 2. variar. resolut. c. 16. num. 17. versic. *secus*. Et quamvis hoc capite dæ sint opiniones contrariæ, quas refert Menoch. consilio 488. numero 8. Giurb. decisio. 1. numero 12.

T 2

Tamen

Tamen verius esse censent, processum hoc casu inter partes principales inuicem litigantes, minime retardari & Sanfel. *decis. 90. n. 18.* Et hanc sententiam conformem esse sensui Rotæ Romanæ, sepiusque secundum illam fuisse iudicatum, testatur Ad. dit. ad Burat. *decis. 833. n. 10. lib. 8.*

26 Quarta conclusio. Quando tertius interuenit dumtaxat, propter timorem collusionis, timens ne actor & reus aliquid in eius perniciem moliantur, tunc iudicij præuentione ligatur, nec potest forum declinare aut nouam litem instituere, cum hoc casu interueniat dumtaxat accessorie & non rei principalis, & per consequens, iudicij naturam mutare non possit, *cap. ultimosu litem pendent. in 6.* Innocent. Fel. & alij. in *cap. cum super. De offic. deleg.* Menoch. *dicto consil. 488. num. 4.* Reputatur siquidem eadem persona cum principali, ideo exceptiones dilatorias ex propria personâ opponere non potest, Merl. *lib. 1.*

27 *controuers. forens. cap. 30. num. 3. & 4.* Idque procedit siue tertius iste litem agitari sciuerit, Merl. *ibid. num. 8.* ubi allegat, Couart. *pract. quest. cap. 13. Gaill. lib. 1. obseruat. 71. num. 14.* Ioseph. Ludou. *de cis. Perus. 26. num. 25.* Quamvis in alio casu quando tertius venit, quasi eius principaliter interfit, si sciuerit litem agitari, gesta in illa lite ipsum afficiant, secus si ignorauerit. Et hæc est vna ex notabilibus differentis, inter casum tertij interuenientis principaliter pro suo interesse, & secundario, timore collusionis: ad notata in *l. sup. 63. ff. de re iudic. vt ad. vertit Merl. loco citato, num. 7.* post Giurb. *decis. 1. n. 9.* & alios plures ab ipsis citatos.

28 Immo si talis sit timor collusionis vt de eâ verisimiliter Iudex dubitare posset, liceret huic tertio eius principale interesse venit in controuersiam, omnino repellere à prosecutione litis suspectum istum litigatorem, vt notatur in *cap. 2. de procurat. in 6. l. si per iurisd. ff. de appellat. Vant. in tract. de nullit. in tit. Quis possit dicere de nullit. num. 11. versic. Quintimo si principalis.*

29 Vnde colligitur bene inspiciendum esse in praxi tenorem decreti, per quod tertius ille ad causam admittitur. Si enim simpliciter admittatur ad assistendum liti, vel cum clausulâ, *quod non audiat nisi ad assistendum*, tunc certum est, illum non posse ex personâ suâ exceptiones aliquas dilatorias opponere in præiudicium partium colligantium, aut etiam in detrimentum illius tribunalis, coram quo causa fuit præuenta. Sanfel. *dicta decis. 90. num. 22.* Giurb. *dec. 1. num. 35.* Et de hac admissione ad effectum simplicis audientie, egit Rota Romana, *decis. 493. parte 5. recent. tom. 2.*

30 Quinta conclusio. Quando tertius compareret ad excludendum actorem solum, vel reum solum, debet omnia acta causæ repetere ex integro: secus tamen est, si vtrumque velit repellere, & excludere. Tunc enim non potest impedire cursum causæ inter ipsos vertentes, vt superius dictum est. Hoc tamen addendum est, quod hoc casu, ille ex colligantibus qui vicerit, teneatur dare cautionem de restituendo huic tertio rem petitam, casu quo postea tertius iste sententiam obtinuerit fauorabilem iuxta textum in *l. de à quo. ff. de rei vendicat. Honded. consil. 25. libro 1. Cancer. libr. 2. variar. resolu. cap. 16. de tertijs opposit. n. 7. & 8.* & iuxta tradita per Bart. in *l. si per iurisd. §. 1. ff. de appellat.*

31 Posset forsitan esse vtilius huic tertio (quatenus Iudicem, & notarium sibi confidentem eligere velit, ne causæ præuentione ligari) facere protestationem qualiter non intendit per illam litem sibi præiudicium inferri, immo quod in animo habet coram

alio iudice pro iure sibi competenti aliud nouum, & separatim intentare iudicium, Barbof. *dicta l. Titia 35. num. 8. ff. solui. matrim.* Et hoc casu videtur sufficere, quod isti tertio, per eum qui vicerit, præstetur cautio de re restituenda in casum futuræ victorie contra ipsum obtinendam, vt supra diximus, *num. 30.* iuxta notata per Merl. *dict. lib. 1. controuers. c. 30. num. 25.*

Sexta conclusio. Quamvis alias dixerimus, & verum sit, quod Clericus assistens liti contra possessorem seu reum intentatæ, dum in euictionem vocatur, non potest fori declinatoriam allegare, immo in eodem iudicio comparere tenetur; tamen sententiæ executio non debet fieri contra ipsum auctoritate Iudicis laici, cum iste sit Iudex omnino incompetens, & funditus careat iurisdictione aduersus clericum, propter legis expressam prohibitionem & resistentiam. Quod de Iudice laico intelligo, nam si ageretur de Iudice Ecclesiastico, qui licet non esset Iudex ordinarius illius clerici, iurisdictionem tamen haberet prorogabilem, postea ille Iudex contra clericum auctorem laudatum sententiam proferre, & executioni demandare: secus est si non haberet iurisdictionem prorogabilem, vel si procurator sine specialia mandato fecisset prorogationem, vel si clericus haberet Iudices cum priuatiua iurisdictione deputatos, tunc enim cum iurisdicatio illius Iudicis qui de causâ principali cognoscere vult, non sit prorogata, vel prorogabilis, non nocebit clerico euictionario præuentione primi illius Iudicis, quia ubi quis non potest esse Iudex, non est locus alicui præuentioni: quæ omnia bene comprobat Cyriac. Nig. *controuers. 383. num. 24. versic. ad id etiam.* Quando autem & in quibus casibus possit Clericus prorogare iurisdictionem Iudicis alterius Ecclesiastici, tradunt DD. in *cap. significasti 18. de foro compet. Carol. de Grass. de effect. cleric. effectus 1. num. 53. & sequentib. Barbof. in l. 1. ff. de Iudic. arto. 3. num. 179. & multis sequentibus.* Veritas est quod non potest prorogare iurisdictionem alterius Ecclesiastici sine consensu proprii Episcopi, expressè nec tacite; nisi improprie, videlicet propter delictum, cum hæc sit potius amissio privilegij, quam prorogatio iurisdictionis, vt dicit Gratian. *decis. 78. num. 52.* si igitur versetur in casibus in quibus Clericus potest alterius Iudicis Ecclesiastici iurisdictionem prorogare, tunc Iudex iste Ecclesiasticus prorogatus, poterit sententiam contra Clericum auctorem laudatum pronunciare & executioni demandare: secus si esset Iudex laicus, cuius iurisdicatio nullo modo prorogabilis est per clericos. Fontanell. disputans in vtramque partem, *decis. 309. & 310.* Videndus Barbof. in *tract. iuris Eccles. conuers. lib. 1. cap. 39. §. 2. num. 118.* Mangil. *de euictionib. q. 6. num. 35. Surd. consil. 396. num. 35. & sequentibus.*

Neque obstat, si opponatur quod si per vnum Iudicem fieret processus, & executio per alium, contentia causæ diuideretur: contra *l. nulli. C. de Iudic.*

Quia axioma illud non procedit, quando agitur de personis quæ sunt diuersi fori, quo casu non est inconueniens si causa diuidatur, & quilibet remittatur ad suum iudicem competentem, Vinc. de Fran. *decis. 426.* Griuell. *d. cis. Dolan. 31. num. 14.* nisi tamen ageretur est negotio indiuiduo, tunc enim causa Ecclesiasticæ iurisdictionis tanquam dignior totam litem ad se traheret ratione prærogatiuæ & præeminentiæ, Rota apud Anton. de Marin. *cap. 207. num. 13. & 14.* cum supponamus causam diuidi non posse.

Quando igitur clericus comparuit coram iudice non

non omnino incompetenti in casibus in quibus iurisdictionem illius prorogare potest, aut etiam laicus qui fori privilegium habet, alterius prorogavit iurisdictionem, si talis sit cui ius variandi non competit, non potest post litem contestatam, imò & post approbatam iurisdictionem per consensum expressum, aut tacitum recedere ab illius tribunali sub prætextu suæ declinatoriæ, quia post litem contestatam exceptiones fori declinatoriæ opponi non possunt. *Cancer. lib. 1. var. res. fol. 18. n. 3.*

36 Septima conclusio. Si non agatur de euictione, sed de indemnitate consequenda, præventio non obstat, quominus Tertius pro rei litigantis indemnitate vocatus, exceptionem fori declinatoriam ex persona sua opponere possit. Exemplum afferri potest, si quis tanquam bonorum possessor citatus fuerit, & actione hypothecaria vel Saluiano interdicto impetitus, & dicat adesse alios possessores posteriori hypothecam & ius habentes, petendo eos in eadem causa citari, & in casum condemnationis, eadem sententia condemnari, ad seipsum possessorem releuandum & indemnem seruandum, ex eo quod anterior possessor habet ius agendi pro sua indemnitate aduersus posteriorem; tunc si iste tertius pro indemnitate consequenda citatus habeat fori declinatoriam, poterit illam in hoc iudicio indemnitatis opponere, vt coram suo iudice conueniatur. Quia causa ista indemnitatis, est omnino diuersa & separata à causa Saluiani interdicti, vel actionis hypothecariæ inter alios intentatæ. Ideo ex persona sua, poterit forum declinare, nec præventio primæ illius causæ, ipsi nocere poterit, vt per Cyriac. *dicta controu. 583. num. 12.* † Quia tunc tertius iste citatus tanquam possessor, quamuis fuisset dumtaxat citatus cum clausula, *Quatenus sua perueniret interesse*, si compareat, & fateatur se possessorem rei, contra quam petitur indemnitas, cum sit reus, & actores ipsius rei forum sequi debeant, sequitur illum coram suo iudice conueniendum esse: quia hoc casu iudicium substantiatur in eius persona, & ideo ex proprio capite, vel virtute sui privilegij potest petere se remitti ad suum iudicem competentem, Cyriac. *dicta controu. 383. n. 8.* & 12. † Aliud est si compareret in causa accessorie & adhasit pro sola defensione rei conuenti, quia hoc casu iudicium non substantiatur in eius persona, sed fundatur in persona rei, causam principaliter defendentis; nec tam consideratur vti persona de per se, quam tanquam admiculum quoddam, Bald. in *Auth. hodie. C. de appellat. n. 9.* Vbi propterea dicit huic tertio sic accessorie comparere, nihil adiudicari posse, quia nihil petit Benintend. *decis. Bonon. 75. n. 4. in fine*, Et hanc conclusionem sequitur Honded. *conf. 25. n. 16. volum. 1. Riminal. tan. conf. 433. n. 6.* & 18. Seraph. *decis. 906. n. 1.* Ludou. *dec. 259. n. 4.* & ibi Addentes; Giurb. *decis. 1. num. 22.* Plures citavi, in 1. parte huius tractat. cap. 20. num. 18. & sequentibus.

39 Octava conclusio. Si ille qui rem alterius nomine possidet, conueniatur actione reali, vel uti rei vendicatione, aut simili, tunc, cum ille non proprio nomine possideat, sed tantum nomine sui principalis, seu Domini, causa debet remitti ad Iudicem Domini competentem, qui de eius causis de iure vel ex privilegio speciali cognoscere debet. Ratio est, quia colonus aut similes non suo proprio, sed Domini nomine possident: cap. cum venissent, de restit. spoliat. l. quod meos ff. de acquir. possess. Ergo non cum colonis; sed cum Domino lis tractanda est: probatur in l. 2. C. ubi in rem actio. & c. quoniam frequenter, §. in alijs, vt lite non comest. Abb. in c. finalis. 8. de

empt. & vendit. Gamm. *decis. Lusi. 333. n. 1.* † Vnde, 40 licet privilegatus teneatur possessorem defendere coram iudice ipsius possessoris, nec possit ex suæ personæ privilegio forum declinare, vt sapè diximus, per text. in l. venditor 49. ff. de iudic. Tamen hoc casu poterit Dominus, cuius principaliter interest, declinare forum & petere causam remitti ac suum Iudicem, non obstante citatione & præventionem facta contra colonum, aut similem personam alieno nomine possidentem, Angel. & Imol. in l. non solum, §. quod vulgo, ff. de iur. iur. Aret. in *Instit. tit. de except. in Rubr. n. 17.* Rip. in cap. 2. n. 24. de iudic. Mangil. de euiction. q. 6. n. 30. & diximus in hoc tractatu, p. 1. c. 20. n. 14. Quod tamen intelligendum est iuxta distinctionem per nos allatam, p. 1. huius tract. c. 9. n. 64. vers. fallit, si notificatio. Nempe vt procedat si citatio facta fuisset contra colonum vti possessorem. Secus est si Dominus ipse post factas debitas diligencias fuerit citatus in persona sui coloni, quò facilius citatio ad notitiam Domini deuenire possit: ex notatis per Ruyn. *conf. 163. n. 7. vol. 4.*

Nona conclusio. Si agatur de emphyteutâ, vel 41 feudatario, vocante Dominum directum in euictionarium, pro iuris sui tuitione, iudicium in Dominum directum est transferendum, si de ipso Dominio directo cõtendatur, veluti si alius tanquam Dominus directus citari faciat ipsum emphyteutam vel vassallum ad recognitionem, vel pro præstatione aliquorum seruitutorum, vel aliorum iurium Dominicalium, cum de eius interesse principaliter agatur. Et eadem hoc casu militat ratio quæ in mox facta conclus. 8. Et per consequens potest Dominus directus petere se remitti ad suum iudicem, & si illi opponatur causam esse præuentam, respondebit sibi non nocere præventionem factam contra emphyteutam cuius non interest hunc vel alium habere Dominum directum, vt bene explicat Barbof. in d. l. venditor. 49. ff. de iudic. num. 131. & 132. August. Barbof. de iure Eccles. vniuers. lib. 1. c. 39. §. num. 119. Intelligendo vt num. præcedenti, nisi factis debitis diligentis ipse Dominus directus citatus fuerit in personâ emphyteutæ. Et iuxta præmissa explicanda sunt quæ tradit Mangil. in tract. de euiction. q. 6. n. 27. Natt. *conf. 324.* dum volunt Domino directo comparante causam esse remittendam ad Iudicem Ecclesiasticum, si illius sit Iudex competens, & idem dicit Natta, quod conductore citato, si Dominus velit audiri pro suo interesse, adeundus est Iudex ipsius. Hoc enim verum est, quando agitur de interesse ipsius Domini principaliter, quia ipse citandus erat, non autem colonus vel emphyteuta: ideo si actor velit vt processura ipsum afficiat, requiritur noua citatio & nouus libellus, nisi citatio facta fuerit aduersus Dominum in persona coloni, vel emphyteutæ; vt mox dictum est.

Conclusionem hic factam locum habere diximus c. 55. in fin. hac ead. p. 2. quando dominus directus cõparet vti tertius principaliter & pro suo interesse; tunc eaim illi non obstat præventio quæ facta fuit contra emphyteutam: sed ista non omnino satisfaciunt, nec materiam bene explicant.

Ideo pro clariori intelligentia supponendum est primò, magnam esse differentiam inter nominationem alterius factam in iudicio, & denunciationem litis; seu laudationem Authoris, ad effectum obtinendæ euictionis; pro vt utrumque casum separatim exponit Marant. in speculo, parte 6. in §. & 6. membro, & optimè Cancer. lib. 3. var. res. fol. 16. n. 124. & seqq. Nominatio non tendit propriè ad consequendam euictionem, sed tantum improprie, ad hoc scilicet vt

reus in ius vocatus eximatur à lite, & iudicium trāferatur in eum qui nominatus est: Denunciatio vero ad effectum consequendæ euictionis fit, ad hoc ut citatus compareat ad defensionem rei, & in casu condemnationis, eadem sententia condemnatur ad illum releuandum, & indemnem seruandum. Exemplum nominationis dari potest in operariis, qui indebitè in alieno laborarunt de mandato Domini, hi enim non quidem vocant mandantem tanquam verum euictionarium, sed improprium; siquidem probando quod fecerint de mandato illius, à lite liberandi sunt, & lis in mandantem transferenda; & sic non est laudatio authoris, sed nominatio; ut dicit Vrsill. ad Afflict. decis. 218. num. 3. De qua materia copiosè agit Farinac. de var. & diuers. q. 97. n. 109. & 131. & seqq. Ricc. collect. 1286. Clar. §. final. quest. 60. n. 15. Ioan. Bapt. Colta de facti scienc. centur. 1. dist. 27.

Aliud exemplum quæstioni propositæ conueniens deductum fuit infra dicto c. 55. de emphyteuta, qui si inter duos de dominio directo sit contentio, quia videlicet quilibet ex duobus contenditibus dicat dominium directum prædij ad se pertinere, non debet emphyteuta litigare, sed nominando alium qui dicat se esse Dominum directum, debet liberari à lite, & contentio debet esse inter duos prætensores dominos directos. Ideo si Titium recognoui in dominum directum mei prædij, Sempronius vero agat contra me, petens, ut illum ratione eiusdem prædij recognoscam in dominum directum, nominando Titium ut se defendat, eximor à lite, & contentio tractari debet inter duos, cum mea non intersit utrū ex duobus agnoscam in dominum directum: ut fufius probauimus dicto cap. 55.

His ita suppositis concludendum est, quod cum agitur de laudatione authoris, præuentio facta contra possessorem afficit euictionarium, & hæc est material. venditor 49. ff. de iudic. Sed si agatur de nominatione, præuentio facta contra possessorem, vel deventorem non afficit eum qui nominatus est; immo contra ipsum nouus libellus dari debet: Vrsill. ad Afflict. d. dec. 217. n. 2. Dec. cons. 62. In causâ n. 4. versic. Pro ista interpretatione, quia tota lis transfertur in ipsum Barb. ad d. l. Venditor. n. 131. ff. de iudic. Rebuff. in conf. Reg. tit. de dilatio. art. 2. gloss. 1. n. 10.

In hoc igitur articulo hæc adhibenda erit diuersorum casuum consideratio. *Primus est*, quando possessor cōuenitur ratione iuris quod in aliqua re prætendit, sed actor non cōtrouertit ius domini directi; veluti si dicat, Ego contendo quod tu non es emphyteuta, vel feudatarius, aut quid simile, sed ego talis sum, & fateor, quod Titius, quem tu recognouisti in dominum directum, est verus dominus directus, & volo illum recognoscere in dominum directum: & hoc casu non est locus nominationi domini directi, & præuentio causæ locum non habet, quia controuersia est inter solos emphyteutas.

Secundus casus quando aliquis conuenit possessorem pro toto iure, quia contendit dominium directum ad se spectare, non ad Titium, quem emphyteuta recognouit: & tunc tota lis transfertur in Titium, qui propterea potest opponere exceptiones fori declinatorias, non obstante præuentione facta aduersus emphyteutam. Hæc est communis DD. resolutio in l. 2. C. ubi in rem act. exerc. debeat, & nōminatim Bart. n. 6. Salycet. n. 5. Castren. num. 12.

De hac materia nominationis videndus est Abb. in cap. quoniam frequenter, in aliis, ut lite non contest. Marant. in speculo dicta parte 6. memb. 6. & relati per Alphanum collect. 68.

42 In emphyteusi tamen Ecclesiasticâ sepe iudica-

tum fuit per Rot. Romanam, iudicem laicum nullam super illâ habere iurisdictionem, etiam si controuersia sit inter duos laicos, & per consequens, præuentionem similis causæ factam coram Iudice laico, nullo modo impedire quominus causæ huius remissio petatur ad iudicem Ecclesiasticum, licet causa super solo dominio vtili inter ipsos emphyteutas tractetur. Ea ratione, quia cum Dominium directum Ecclesiæ sit omnino complicatum cum vtili, illique prædominetur, sitque Dominium vtile, verè & propriè eadem res cum dominio directo, est eius naturæ, ut directum semper sequatur, sicuti incrementum alluionis & infusæ. Et cum subiectum bonorum sit semper & perpetuò ac materialiter Ecclesiasticum, non potest etiam indirectè subici iurisdictioni & iudicio laicorum, ut fusè per Rotam decis. 42. n. 10. & seqq. part. 6. recentior. ubi plures aliæ decisiones eiusdem Rotæ allegantur, Gratian. discept. forens. cap. 447. n. 21. Cyriac. controu. 12. n. 67. Fontanell. decis. 341. n. 24. Donat. Anton. de Marin. decis. 207. per totam. Quamuis Fontanella velit etiam assignari posse hoc casu Iudices laicos, quod est contra decisionem Rotæ Romanæ.

Immo eadem Rota censuit, non esse locum Agidiane constitutioni quoad executionem sententiæ non retardandam post appellationem, quando concessa fuit immissio in possessionem diuersorum bonorum, inter quæ admixta reperiuntur quedam corpora quæ subsunt Dominio directo Ecclesiæ, quia ratione connexionis & maioris dignitatis, sit, ut Agidiana locum non habeat nedum in illis corporibus existentibus de Dominio directo Ecclesiæ, sed nec in aliis merè laicalibus, quamuis aliquin constitutio illa quæ est merè laicalis, & per consequens non afficit Ecclesiasticos, debuisset tamen inter laicos obseruari, ut in Viuerbiensi Fideicommissi, seu Attentatorum 16. Iunij 1642. coram D. meo Cerro, & in Ariminensi Saluiani interdicti 16. Iunij 1643. & 30. May 1646. coram D. meo Bichio. Et hoc propter indiuiduitatem sententiæ, quæ non desumitur, neque consideratur ratione materiæ, sed ratione formæ, quæ de sui natura est indiuidua.

Decima conclusio. Quando oritur controuersia 44 circa qualitatem fundantem iurisdictionem, veluti si disputetur utrum Tertius veniens ad causam gaudere possit exceptione fori declinatoriæ, siue ex eo quod agatur de viduâ aut aliâ miserabili personâ, vel de Clerico, Doctore, Milite, vel Scholario, petentibus se remitti ad suos iudices, talis controuersia per eundem Iudicem causæ terminanda & decidenda est, ita tamen ut probationes in hoc iudicio factæ, fidem non faciant in negotio principali, cum fiant per viam summarie cognitionis ad fundandam dumtaxat iurisdictionem. Menoch. consil. 1045. in fine. Et quod ad eundem causæ iudicem spectet huius articuli decisio, tenet Mangil. in tract. de euiction. quest. 6. num. 29. Rem tamen dubiam existimat Cyriac. controuers. 383. num. 35. Pluribusque per diuersos casus rem explicat Menoch. dicto consil. 1045. per totum, qui verius esse existimat, quod quando exceptio qualitatis fundantis iurisdictionem, opponitur ab initio causæ, sicque per modum declinatoriæ, si qualitas huiusmodi negetur, iudex ipse prius de ea cognoscere debet, & si qualitatem veram esse comperiat, procedet in causa principali sin minus, causam ad suum iudicem remittet. Quam sententiam pluribus rationibus, & authoritatibus comprobatur ibid. num. 3. & multis seqq. Reliqua apud eundem bene explicata videri poterunt, & ad illum dum casus adueniet, recurrendum erit.

Verum

45 Verum est tamen, quod si non sit controversia inter partes, sed inter iudices qui contendunt inuicem de causæ præuentione, vel de iurisdictione, in illa causa neuter ipsorum debet de hoc articulo iudicare, sed aduendus erit Superior vtriusque, aut nominandi erunt Arbitri, vt ostendimus, p. 1. c. 12. n. 9. & seqq. Hic non repetemus.

46 Vnde decima conclusio. Quamuis regulariter, tertius veniens in causâ post consummatas executiones, non sit audiendus, nisi nouum iudicium instituat, & executiones non dicantur consummatæ nisi post perfectam missionem in possessionem, & tunc tantum quando in executione nihil superest agendum, vt diximus, parte 2. c. 5. n. 4. † Tamen ex stylo

47 Rotæ Romanæ quando fuerunt laxatæ executoriales, & concessa per Rotam declaratoria, & agitur de danda aggrauatoria, ista censetur realis & consummata executio, neque tertius admitti debet ad illam impediendam quando venit oppositiuè, quia cum ex stylo Rotæ executio sit perfecta, & consummata, res non dicitur integra, iuxta textum in leg. à diuo Pio. 15. §. si super rebus. Et ibi DD. maxime Alex. n. 9. Adeo vt non sit hoc casu admittenda distinctio scientiæ, vel ignorantie, quam asserti Cost. in tract.

48 de re integ. dist. 95. num. 13. † Quia hæc distinctio locum non habet, nisi tertius compareat ante finitam & consummatam executionem. Si enim perfecta sit executio, tertius illam reuocare non potest, nisi separatim nouo iudicio diuerso, & separato à primo executiuo, coram iudice sibi benè viso, dummodo sit competens; in causâ quippe istâ omnino diuersâ, non est vilis præuentioni locus, vt probatur ex decis. per Rotam, decis. 17. num. 5. parte 3. recentior.

49 Ratio conclusionis & styli supradicti petenda est ex eo, quod Rota non solet, præsertim ultra montes, & extra statum Ecclesiasticum relaxare mandatum executiuum; sed tantum relaxat executoriales, quibus si pars non obediat, proceditur ad declarationem censurarum. Et post intimatas executoriales, lapso termino ad parendum dato, incurritur excommunicatio, nec est opus aliâ nouâ intimatione, vt deueniatur ad dictam declarationem: iuxta ea quæ copiosè explicantur per Postum, in tract. de manutent. obser. 103. per tot. † Idcirco laxatis executorialibus, & concessâ declaratoriâ, dicitur facta realis executio secundum styllum Rotæ Romanæ, ad effectum excludendi ab illo iudicio tertium comparentem & volentem impedire vltiores executiones, vt decidit eadem Rota dec. 313. n. 3. vers. Præterea. & numeris sequentibus, eadem parte 6. recentior. & maxime num. 9. vbi dicitur distinguenda esse tria tempora.

15 Primum est, ante condemnationem. Secundum, post condemnationem, sed ante actuale executionem consummatam. Tertium, post executionem factam & omnino consummatam. In duobus primis temporibus, tertius non citatus veniens ad causam, constituit processum triangularem, & potest admitti, non solum in primâ instantiâ, sed etiam in causâ appellationis: sed respectu tertij temporis, non admittitur Tertius, nempe post perfectam, & consummatam executionem, quia tunc res non dicitur integra, DD. in l. à diuo Pio. §. si super rebus, & maxime Alex. n. 9. Costa, de re integ. dist. 95. num. 9. Vtrum autem admittatur distinctio scientiæ, & ignorantie, de qua ibidem Costa, num. 13. determinat ibidem Rota d. dec. 313. n. 12. † Voluit tamen eadem Rota, ibidem, quod si tertius iste veniet incontinenti probaturus suam intentionem ex iisdem

actis, vel per probationes faciendas in Curia, esset audiendus ad retardandam executionem: ad quod allegatur decisio Mohedani, 29. sub tit. de rest. spoliar.

Quæ tamen non loquitur de executionibus consummatas, sed tantum de Tertio comparente ad impediendam executionem trium sententiarum conformium, latorum in fauorem cuiusdam Monialis, petentis se reintegrari ad dignitatem Abbatissæ. Sed hoc melius explicatur apud Pur. decis. 13. lib. 2. in correct. Quæ decisio est in eadem causa de qua in illâ Mohedani decisione. Ibi dicitur quod Rex Portugalliæ, vti tertius, & pro interesse quod habebat vti patronus, quod Abbatissæ præficeretur persona, bonis moribus ornata, fuit admissus ad causam post laxatas & intimas executoriales, dum agebatur de censurarum declaratione; ideo, quia paratus erat docere incontinenti de iure suo, vel per probationes in Curia faciendas. Et ita ad concordiam reducuntur istæ decisiones, per Rotam, in d. dec. 313. n. 15. parte 6. recentior.

Duodecima conclusio. Quando causa inter partes principales colligantes fuit præuenta & inchoata, etiam si subsequuta esset suspensio petitorij, tamen si tertius qui non spoliavit, nec spoliari mandauit, compareat, & petat se admitti in eadem causâ pro suo interesse, debet audiri, etiam in petitorio, non obstante illius suspensione, Fel. in cap. cum super, n. 17. de sent. & re iudic. Cum privilegium suspensionis petitorij, sit introductum in odium ipsius spoliantis, vel spoliari mandantis; & non illius tertij qui cum spolio nihil habet commune. † Vnde si iste tertius haberet ius connexum cum iure spoliantis, vel spoliari mandantis, non esset audiendus in petitorio post illius suspensionem, Innoc. in cap. veniens, de spons. Guid. Pap. singul. 267. Incip. spoliatus possessione, cum aliis allegatis per Rotam, in recentioribus, dec. 22. n. 3. p. 1. Rip. in l. naturaliter, §. nihil commune, ff. de acquir. possess. n. 80. Menoch. remed. 1. recuper. possess. num. 138. cum aliis citatis per eandem Rotam, dicta parte 1. recentior. dec. 23. n. 2.

Et licet tertius veniens in causâ, regulariter debeat venire in statu & terminis in quibus ipsa repetitur, vt supra explicatum est; tamen hoc non procedit, quando iste tertius causam principaliter quoque, super spolio committi obtinuit, & venit vigore suæ commissionis, & non clausulæ generalis, quia hoc casu non arctatur statu causæ cum suis terminis & qualitatibus, Cassador. dec. 1. de except. Rota dec. 22. n. 2. parte 1. recentior.

Et quæ de tertio in causa spoliij admittendo, quando habet ius independens à iure spoliantis, dicta sunt, confirmantur à simili: nam quando causa commissa fuit cum clausula, Parito breui, tertius non afficitur per istam clausulam quoad fructuum restitutionem, si illos non perceperit, nec à percipientibus causam habuerit; quia est hoc casu merè Tertius, & pro suo interesse dumtaxat ad causam admittitur. Ratio est; quia hæc clausula, in solius occupantis odium est apposta, ideo ad alios non est extendenda, vt post Marches. de commiss. parte 1. pag. 397. numer. 2. ostendit Barbof. de claus. capit. 98. num. 16.

Decimatertia conclusio. Tertius comparens in causâ appellationis, aut in primâ instantiâ facit regulariter acta sua, nisi tamen compareat eo modo quo supradictum est, n. 25. nempe ad excludendum tam actorem quam reum, tunc enim acta ante eius interuentionem facta, ipsum non afficiunt, sicut nec post illius admissionem facta, nisi fuerit citatus, vt benè explicat Beltram, in addit. ad Lud. dec. 259. & Add.

Add. ad Burat. decif. 833. An autem & quando appellatio tertij admitti debeat ad retardandam executionem sententiæ inter alios late, explicat Lancello, de atemat. appell. pend. ampliat. 14. per tot. Sed quoad numerum sententiarum tertius facit acta sua, ita ut si duæ conformes subsequantur illius appellationem, prima cum illis iungatur ad faciendum numerum trium sententiarum conformium: Rota, dec. 98. n. 7. part. 1. recentior. Putr. dec. 71. lib. 3. Marefcot. lib. 1. var. resol. cap. 20. num. 14. Seraph. dec. 906. Theodos. Rub. in suis singularibus ad dictam decif. Putr. 71. Rota decif. 450. part. 4. recentior. tom. 1. Achil. de Gratias dec. 13. de appell. Marchef. de commiss. part. 2. pag. 263. usque ad 268. & parte 1. fol. 1313. & parte 3. fol. 98. Contard. ad leg. vii. C. si de nomen. possess. limit. 23. n. 19. Tertius autem quis dicatur, & de materiâ; Ruginell. de appell. §. 2. c. 1. m. 35. & seq. & n. 48. Barbof. in c. cum super eo 15. de offic. Iudic. deleg. Rebuff. ad const. Reg. tit. de literis obligatoris, tom. 1. art. 1. gloss. 10. n. 11. Grat. discept. 232. n. 9. Salgad. de Regia protect. parte 4. c. 8. num. 14. Menoch. remed. 4. ad p. c. possess. n. 846. in c. lo. num. 849. Scacc. de appell. q. 17. limit. 6. membr. 4. n. 46. & multis seq.

Quando autem iste Tertius vult euitare ne acta & sententiæ sibi præiudicent, debet committi facere causam pro ut in primâ tanquam veniens principaliter ex iure suo, nec sufficit ipsum ita comparere, sed debet hoc exprimi in commissione: Add. ad Burat. d. dec. 833. & ad Lindou. d. dec. 259. Aduertet autem pars aduersa utrum veniat principaliter, an defensorio nomine, aut alio ex modis superius dictis, ne per talem admissionem sibi præiudicium inferri patiatur; & hoc iuxta supradictas conclusiones & distinctiones, & nominatim secundum resoluta, n. 55. & n. 21. & multis seq.



CAPVT XIII.

Quando vnus ex pluribus cohæredibus præuenit in conficiendo inuentarium, utrum alij cohæredes teneantur continuare illius confektionem coram eodem Iudice & Notario, an vero quislibet separatim suum inuentarium conficere possit? Et quomodo inuentarium per duos diuersos Notarios confici possit, si bona sint sita in diuersis prouinciis, vel locis. Quid si hæredes non assignatis portionibus sint instituti, aut vnus purè, & alius sub conditione. In legatariis autem quid obseruandum, si vnus ipsorum coniunctus aut disiunctus, præuenit petendo eandem rem vigore legati, utrum præuentione ista alios legatarios afficiat. Inuentarium hæredis, vel tutoris, an profit aliis interesse habentibus. Eum qui inuentarium confecit tanquam hæres pro parte, vel uti ex testamento, si deinde appareat esse hæredem in solidum, vel ab intestato, non teneri nouum conficere inuentarium.

SUMMARIVM.

- 1 Ex actu confektionis inuentarij nulla oritur præuentione quoad creditores hæreditarios: oriri tamen potest fauore Iudicis & Notarij qui præuenit, quoad ipsum actum inuentarij.
- 2 Quauis inuentarium ab eodem Notario qui præuenit conficiendum sit, si tamen nimis diffusum sit patrimonium, alius Notarius potest adhiberi.
- 3 Quæ sit praxis conficiendi inuentarium, quando bona sunt in diuersis locis.
- 4 Quando vnus Notarius præuenit in confectioe inuentarij, alius potest adhiberi in casu impedimenti.
- 5 Duo Notarij in solidum rogari possunt de inuentario.
- 6 Quando vnus ex cohæredibus deliberat super aditione hæreditatis, alius non potest in totum adire, sed tantum pro parte sua.
- 7 Portio non petenti non accrescit petenti, nisi factâ repudiacione expressâ, vel tacitâ per lapsum temporis.
- 8 Qui petunt hæreditatem, non possunt plus petere quam habituri essent ceteris aduentibus.
- 9 Ampliatur hoc, ut procedat tam ex testamento quam etiam ab intestato.
- 10 Exceptio de iure tertij opponi potest, quando est potius de non iure actoris.
- 11 Vnus ex pluribus cohæredibus, non potest esse hæres nisi pro parte sua, quando alij non sunt exclusi.
- 12 Quando vnus hæres est, institutus purè, & alius sub conditione, vtrum purè institutus possit totam hæreditatem petere antequam condicio euenerit: & infra n. 20.
- 13 Legatarij, quando inter se disiuncti dicantur.
- 14 Quando legatarij dicantur coniuncti re & verbis.
- 15 Quando dicantur coniuncti re tantum.
- 16 Et quando sint coniuncti verbis tantum, explicantur per exempla.
- 17 Non debet fieri differentia siue heres pro parte institutus totum petat in iudicio petitorio, vel possessorio, quidquid de possessorio dixerit Fufarinus.
- 18 Legatarius verbaliter coniunctus non potest præuenire quoad partem collegatarij.
- 19 Inter legatarios, aut fideicommissarios re tantum coniunctos, tota causa præuenitur, si vnus ex pluribus totum petat.
- 20 Aditio vnius ex cohæredibus purè institutis, non prodest aduentis, nisi pro parte sua, secus si sub conditione.
- 21 Inuentarium à singulis hæredibus, aut ab vno ipsorum nomine aliorum conficiendum est.
- 22 Inuentarium hæredis, vtrum profit fideicommissario, sine cessione iurium.
- 23 Inuentarij beneficium est personale. Et tamen transire in emptorem hæreditatis, n. 24.
- 25 Inuentarium tutoris non tenet hæredem aduersus creditores hæreditarios.
- 26 Si in inuentario tuelari, fuerint adhibita solemnitates inuentarij legalis, hoc sufficit ut suffragari possit hæredi.
- 27 Præuentione vnius ex cohæredibus, non impedit quin alius cohæres, suum inuentarium separatim conficere queat ex Doctorum sententiâ.
- 28 Inuentarium non est actus iudicialis, sed iuda sollemnitas.